

trahunt. Mentiuntur, Licenti. Sic nobis [sicut optas] verum ratione pateat: sic plus Eridano fluat. Non dicit verum; nisi veritas: quia Christus est veritas. Veniamus ad eum, ne laboremus: ut ipse nos reficiat, tollamus jugum ejus super nos, & discamus ab eo, quoniam mitis est & humilis corde, & inveniemus requiem animabus nostris. Jugum enim ejus leve est & sarcina ejus levis est. Ornari ab te, diabolus quærit. Si calicem aureum invenisses in terra, donares illum ecclesie DEI. Accepisti à DEO ingenium spiritualiter aureum, & ministras inde libidinibus? & in illo Satanae propinas te ipsum? Noli, obsecro. Sic aliquando sentias, quàm misero & miserando pectore hæc scripserim, & miserearis jam mei, si tibi viluisti.

De epistola XL. & XLI.

Parum attentus aliquis ex una epistola 39. fecit tres: quadragesimam incipiens à carmine Licentii, quod Augustinus suæ epistola intertextuit: quadragesimam primam à verbis Augustini post eum Licentii. Hoc autem errore ita sublato, subsequitur.

EPIST. XLII.

Augustinus Madaurense idololatras hortatur, ut ab impietate se convertant ad veram religionem, ostendens illis mysterium sacrae Trinitatis, & orbem miris incrementis, juxta Prophetarum & Evangeliorum oracula, Christo subiectum.

Dominis predicabilibus & dilectissimis fratribus Madaurensibus, quorum per fratrem Florentinum epistolam accepi, Augustinus.

*Meminit
Possid. in
Indic.*

149.

SI fortè illi, qui inter vos Catholici Christiani sunt, talia mihi scripta miserunt, hoc tantum miror, quòd non suo potius, quàm Ordinis, nomine: Si autem revera omnes, aut propè omnes Ordinis viri ad me dignati estis literas dare, miror, quòd patri & in Domino salutem scripsistis quorum mihi supersticiosus cultus idolorum, contra quæ idola facilius templa vestra, quàm corda, clauduntur, vel potius quæ idola non magis in templis, quàm in vestris cordibus, includuntur, cum magno est dolore notissimus; nisi fortè jam de salute ipsa, quæ in Domino est, per quam me salutare voluistis, tandem prudenti consideratione cogitetis. Nam si non ita est, quæso vos, quid læsi, quid offendi benevolentiam vestram, ut me titulo epistolæ vestrae irridendum potius, quàm honorandum esse, putaretis, Domini prædicabiles & dilectissimi fratres? Quod enim scripsistis: Patri Augustino in Domino eternam salutem: cum legerem, tantâ spe